



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Quibusdam præmissis prima difficultas resolvitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Sancti, & similiter ad causandam gratiam in Angelis & primis parentibus; quia tamen Christus Dominus de facto non ordinavit propria merita ex gratia procedentia ad tales effectus, de facto non se extendit ad illos.

28 **Objicies** sexto: Gratia in esse gratiæ reddit hominem acceptum ad gloriam: Sed gratia habitualis Christi non reddit illum acceptum ad gloriam infinitam; Ergo non est infinita in ratione gratiæ.

29 **Respondeo** primò, acceptionem ad gloriam per modum hereditatis, præstati à gratia habituali, prout qualitas physica est, subindeque gloriam, ut hereditatem, debere commensurari cum physica entitate illius, posse tamen dari alteram acceptionem ad gloriam per modum præmii & coronæ, quæ actibus meritoris correspondet; & istam reddere Christum acceptum ad gloriam infinitam, cum in actibus meritoris Christi, quantum est de se, condignitas infinitæ gloriæ detur.

30 **Secundò** responderi potest cum Joanne à S. Thoma, concessa absolute Majori, negando Minorem: sicut enim gratia Christi, ut conjuncta Verbo, est infinita moraliter, ita dat acceptionem ad gloriam infinitam, nõ quidem physice & intensive, sed moraliter & appretiative; quia etiã ipsa gloria Christi habet infinitum valorem & æstimabilitatem ex conjunctione ad Verbum, & ex eo quod actibus meritoris Christi, qui in genere moris sunt valoris infiniti, correspondet.

31 **Objicies** septimò: D. Thomas hic art. 11, docet gratiam Christi posse dici infinitam, sicut lux Solis infinita dicitur: Sed lux Solis non est infinita simpliciter in ratione lucis, aliàs omnem lucis perfectionem contineret: Ergo pariter gratia habitualis Christi non est infinita simpliciter in ratione gratiæ, vel in esse moris,

32 **Respondeo** illam similitudinem D. Thomæ non tenere in omnibus, sed in hoc quod sicut lux Solis non determinatur ad hunc vel illum effectum in particulari, sed generaliter se extendit ad omnes effectus lucis; ita gratia Christi generaliter se extendit ad omnes effectus possibiles gratiæ, ut supra dictum est. Differentia tamen est inter gratiam Christi, & lucem Solis, quoad hoc quod lux Solis habet solum esse physicum, nec participat aliquam dignitatem moralem ex subiecto in quo est: At verò gratia Christi non solum habet esse physicum, ratione cujus est finita in genere physico; sed etiam participat dignitatem quandam moralem ex supposito divino in quo est, & quia hæc dignitas est simpliciter infinita, gratia Christi in esse gratiæ, vel in esse moris spectata, dicenda est simpliciter infinita; lux autem Solis non est dicenda simpliciter infinita, sed tantum cum addito, vel secundum quid.

§. III.

Corollarium notatu dignum.

33 **Ex** dictis inferes, quod si non repugnaret qualitas infinitæ intentionis in actu, gratia Christi hanc infinitatem habuisset.

Probatur primò hoc corollarium: Si Christus suis meritis affectus fuisset gratiam, foretque possibilis infinita intentio illius, eam suis meritis obtinuisset; nam illius merita, cum essent valoris infiniti, ad gratiam infinitè intentam haberent condignitatem, & aliàs absque fundamento fo-

lido pactum ex parte Dei, & ordinatio ex parte Christi ad illam promerendam negarentur: Ergo licet Christus absque meritis gratiam obtinuisset, si tamen foret possibilis infinita intentio gratiæ, de facto fuisset ei infusa. Patet Consequentia aliàs melius fuisset Christo gratiam per meritum quam sine meritis obtinere, & isto excellentiori causa fuisset privatus, quod asserendum non est.

Probatur secundo: Gratia infinitè intentam humanitatem Christi, ob illius conjunctionem cum Verbo, deceret, cum sit dispositio illam comitans, ut disp. 10. ostensum est: Ergo si illa esset possibilis, de facto fuisset humanitati Christi collata.

Confirmatur: Deus taliter erga Christum gessit, ut omnia dona unioni hypostaticæ & rationi beatificæ non repugnantia ipsi concederet, & hoc ob dignitatem Verbi terminantis humanitatem: Sed gratia infinitè intentam, nec unioni beatificæ, nec unioni hypostaticæ repugnat, nõ istam maxime deceret: Ergo si gratia infinitè intentam esset possibilis, de facto fuisset humanitati Christi concessa, ob dignitatem Verbi terminantis humanitatem. Sicut etiam si possibilis esset omnium possibilibus cognitio, de facto Christus omnia possibilia cognosceret; quomodo omnium possibilibus cognitio humanitatem Christi deceret, ob dignitatem Verbi terminantis.

Dices: Gratia infinitè intentam ad finem redemptionis necessaria non est, utpote cum non excludatur, sed ex gratia unionis infinitas meritoria satisfactoria in operationibus Christi sumatur: Ergo cum gratia non minus abhorreat à superfluo quam natura, etsi gratia infinitè intentam foret possibilis, non fuisset tamen humanitati Christi collata.

Sed contra: Infusio gratiæ habitualis in primo instanti conceptionis, ad finem redemptionis non fuit necessaria, & tamen quia humanitatem Christi ob dignitatem Verbi decebat, Theologi fatentur eam ab initio cōceptionis habuisse: Ergo similiter, quamvis gratia infinitè intentam ad finem redemptionis necessaria non esset, quia tamen humanitatem Christi, ob dignitatem Verbi, deceret, si fuisset possibilis, de facto humanitati Christi concessa fuisset. Addo, quod si hac instantia valeret, sequeretur non fuisse infusam Christo gratiam habitualement, illa enim ad finem redemptionis non erat necessaria simpliciter, cum non ex illa, sed ex gratia unionis, seu infinita dignitate personæ divinæ, infinitas meritoria & satisfactoria in operationibus Christi sumatur.

ARTICULUS II.

Utrum in Christo sit gratia plenitudo, subindeque gratia tam intensa, ut omnem gratiam Angelorum & hominum celsè & vive sumptam excedat?

§. I.

Quibusdam præmissis, prima difficultas resolvitur.

Suppono primò ex D. Thoma hic art. 9. duplicem posse dari gratiæ plenitudinem: alteram intensivam, quæ sumitur ex intentione illius in anima; alteram extensivam, quæ est ex virtute

te operativa illius, quā ad omnes ejus effectus se extendit.

Suppono secundò ex eodem S. Doctore art. 10. plenitudinem intensivam gratiæ adhuc esse duplicem: alteram formalem quæ se tenet ex parte ipsius gratiæ, quando scilicet habetur in maxima excellentia & intensione quæ potest haberi de potentia ordinaria; alteram subjectivam se tenentem ex parte subjecti; quando nimirum subjectum habet omnem gratiam ad suum statum seu officium pertinentem, & à divina providentia & sapientia omnia in numero, pondere & mensura disponente & producente, præordinatam & præparatam.

Suppono tertio, quod licet gratia Christi intensivè finita sit, ut articulo præcedenti ostendimus, tam copiosa tamen & intensa est, ut non modo eam nullius puræ creaturæ gratia excellat, sed ne æquaverit quidem. Unde Gregorius magnus lib. 18. moral. cap. 34. exponens verba illa Job: *Non adequabitur ei topazium*, ad sanctos homines aptat, qui quantalibet sanctitatis prærogativâ præfulgeant, Christo æquari vel comparari non possunt, quia omnes quotquot stillidum aliquod sanctitatis sunt adepti, è Christi fonte hauriunt gratiam. Dum in Deum (inquit) contemplantur, credidit, ex ea multi ita sunt dono spiritus locupletati, ut quasi multi coloribus sic multis virtutibus luceant. Sed ne acceptis quaquam virtutibus extollatur, a sancto viro nunc dicitur: *Non adequabitur ei topazium de Ethiopia* ac si aperte dicat: Nullus sanctorum, quolibet virtutibus plenus, ex ista tamen nigredine mundi collectus, æquari ei potest de quo scriptum est, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Et exponens illud Canticorum 1. *Nolite me confidere quod siccifui*, quia decoloravit me Sol, hoc refert ad ipsam, seu animam, quæ à Christo vero justitiae Sole proficitur se decoloratam. Sol (inquit) eam decoloravit, quia quantumlibet fulgeat anima, in comparatione Christi fulgorem amittit. Sunt quippe nonnulli qui in hac nocte mundi, velut stella hominibus fulgent, & luminaria proximis apparent: sed mox ut iustitia Christi se comparant, quasi sine luce sunt, quibuscum comparabiliter prius hominibus lucebant.

Hæc sunt certa & indubitata apud omnes, unde solum difficultas est, an in anima Christi sit gratiæ plenitudo, eaque tanta, ut non solum intentionem gratiæ cujuslibet hominis, vel Angelus, sed omnem etiam gratiam Angelorum & hominum collectivè sumptam excedat? Pro resolutione,

Dico primò: in Christo est plenitudo gratiæ, tam intensiva, quam extensiva, secundum potentiam Dei ordinariam; nec tantum ea quæ se tenet ex parte subjecti, & subjectiva dicitur, sed etiam quæ se tenet ex parte ipsius gratiæ, & formalis appellatur.

Prima pars hujus conclusionis patet: Tunc enim habetur plenitudo gratiæ, tam intensiva, quam extensiva, secundum potentiam Dei ordinariam, quando habetur in ea intensione quæ major dari non potest ex divina ordinatione, & se extendit ad omnes effectus gratiæ, juxta eandem ordinationem possibiles: Sed talis est gratia Christi, ut statim dicitur: Ergo in Christo est plenitudo gratiæ, tam intensiva, quam extensiva, secundum potentiam Dei ordinariam.

Secunda verò pars suadet. Et in primis quod in Christo sit plenitudo gratiæ, se tenens ex parte subjecti, manifestum est: Tunc enim aliquis dicitur habere plenitudinem gratiæ ex

parte subjecti, quando habet omnem gratiam statui & officio ad quod à Deo eligitur necessariam, ut in secunda suppositione declaravimus: Sed Christus habet gratiam necessariam ad dignitatem Capitis & Redemptoris, ad quam à Deo electus est, cum Deus unicuique det gratiam juxta exigentiam officii ad quod eligitur, quia eligendo aliquem ad aliquod officium, non supponit, sed reddit ipsum idoneum: Ergo in Christo est plenitudo gratiæ se tenens ex parte subjecti.

Quod autem etiam in eo sit plenitudo gratiæ se tenens ex parte ipsius, probatur triplici ratione D. Thomæ hic art. 9. Prima est: Quando aliquod receptivum propinquius est causæ influenti, tanto abundantius ipsius influxum recipit: Ergo anima Christi, quæ propinquius conjungitur Deo inter omnes rationales creaturas, ratione unionis hypostaticæ, maximam recipit influentiam gratiæ ejus.

Secunda: Anima Christi gratiam recepit, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios: Ergo oportuit quod haberet maximam gratiæ; sicut ignis qui est causa caloris in omnibus calidis, est maxime calidus. Quam rationem eleganter expendit Novatianus in lib. de Trinit. cap. 19 his verbis: *Spiritus sanctus habitat in Christo plenus & totus, nec in aliqua mensura aut portione mutilatus, sed cum tota sua redundantia cumulatè distributus & missus; ut ex illo de libationem quandam gratiarum ceteris consequi possint, totius sancti Spiritus in Christo fonte remanentis, ut ex illo donorum atque operum vena ducerentur, Spiritu sancto in Christo affluenter habitante.*

Tertia: Anima Christi habuit gratiam ad omnes operationes vel effectus gratiæ, quia ei fuit data tanquam cuidam universali principio in genere habentium gratiam; Sed virtus primi principii alicujus generis, universaliter se extendit ad omnes effectus illius generis: juxta Dionysium 4. de divinis nominibus & Philosophum dicentem, quod primum in unoquoque genere est causa ceterorum illius generis: Ergo in Christo est plenitudo gratiæ formalis, & tenens se ex parte gratiæ.

Aliam rationem insinuat idem S. Doctor articulo undecimo in eo p. ubi sic dicitur: *Sicut aliarum formarum est ex divina sapientia determinata propria mensura, ita & gratia, secundum illud Sapientia 11. Omnia in numero & pondere & mensura disposuisti. Mensura autem unicuique forma præfigitur per comparationem ad suum finem: sicut non est major gravitas, quam gravitas terre, quia non potest esse inferior locus loco terra. Finis autem gratiæ est unio creaturæ rationalis ad Deum: non potest autem esse nec intelligi maior unio creaturæ rationalis ad Deum, quam quæ est in persona; & ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ.*

Hanc gratiæ Christi plenitudinem diligenter enucleat Toletus in cap. 2. Joan. annot. 47. & in cap. 1. Lucæ annot. 104. eamque eleganter expressit Laurentius Justinianus, libro de casto consubio Christi & animæ cap. 10. his verbis (multimodè cognoscitur illius gratiæ plenitudo, in Christo namque fuit gratia sufficientis, quæ in iusto quolibet reperitur. Fuit gratia copia, quæ Apostolis donata est, Spiritu sancto super ipsos descendente, sicut scriptum est, repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Fuit gratia universitatis, quæ est in Ecclesia, cui nullum deest donum. Fuit gratia excellentiæ, quæ Beatæ Virgini concessa est. Fuit gratia superfluentiæ, de qua dicitur, plenum

gra-

gratia & veritas. Fuit quoque in ipso mediatore à sui conceptione gratia capitis. Non solum autem in quantum Deus caput est Ecclesie, sed etiam in quantum homo & influit motum & spiritum gratie in cunctos qui illi copulantur per fidem rectam, vel fidei sacramentum. Fuit etiam gratia unionis, de qua supra dictum est. Hæc Justinianus de plenitudine gratie Christi. Sed cave ne putes hanc tantam diversitatem gratiarum, ex quibus hanc plenitudinem constare, constare ex multiplicibus formis supernaturalibus specie diversis; unica enim gratia Christi habitualis, vel unio hypostatica, ad illa omnia sufficit.

§ II.

Duo corollaria notatu digna.

47 **E**X dictis inferes primò, plenitudinem gratie formalem esse propriam Christo, non verò plenitudinem subjectivam.

Prima pars hujus corollarii patet ex supra dictis, solus enim Christus habet gratiam, & in maxima excellentia seu intentione quæ haberi potest de lege Dei ordinaria, & in maxima extensione ad omnes gratie effectus.

Secunda etiam manifesta est: Tunc enim aliquis dicitur habere plenitudinem gratie subjectivam, seu ex parte subjecti se tenet, quando habet omnem gratiam ad suum statum seu officium pertinentem; & secundam mensuram ei à Deo præfixam, ut in secunda suppositione declaravimus: At non solum Christus, sed etiam sancti habent gratiam intentionem secundum mensuram à Deo præfixam, juxta illud Pauli ad Ephesios 4. Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donatus Christi. Similiter plures sancti habuerunt omnem gratiam ad eorum statum & officium pertinentem, unde idem Apostolus ad Ephesios 3. Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc illuminare omnes. &c. Ergo plenitudo gratie subjectiva, non est propria Christi, sed pluribus Sanctis convenit. Quare S. Doctor hic art. 10. ad 1. Beata Virgo dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratie, quia non habuit gratiam in summa excellentia quæ potest haberi, nec ad omnes effectus gratie, sed dicitur fuisse plena gratia per comparisonem ad ipsam, quia sicut habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa à Deo ut esset scilicet mater unigeniti eius. Et similiter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc quod esset idoneus minister & testis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum de aliis. Harum tamen plenitudinum una est plenior altera, secundum quod aliquis est divinitus præordinatus ad altiore vel inferiore statum. Unde inter omnes sanctos Beatissima Virgo, utpote ad dignitatem matris prædestinata, plenitudinem gratie subjectivam perfectissimè habuit, ut disertè declarat D. Bernardus homilia 3. super Missus est, his verbis: Legimus in Actibus Apostolorum, Stephanum plenum gratia, & Apostolos fuisse repletos Spiritu sancto, sed longè dissimiliter à Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria; nec illi conceperunt de Spiritu sancto, quomodo Maria.

48 Inferes secundò, In Christo plenitudinem gratie formalem, coincidere cum plenitudine gratie subjectiva: quia est in illo in summo secundum determinationem divinæ voluntatis & sapientie, nam inter gradus gratie quos Deus

A impertiri decrevit, supremum Christo concessit. Non sic in aliis sanctis, & idè in illis plenitudo gratie subjectiva, cum plenitudine formalis non coincidit, sicut in Christo.

§. III.

Alia difficultas expeditur.

Dico secundò: gratia Christi habitualis intentione superat totam gratiam Angelorum omnium simul sumptorum. Ita Alvarez disputat. 37. & Suarez disp. 22. lect. 2. in fine, & sequitur que ex jam dictis: Nam si anima Christi gratiam recepit, ut ex ea quodam modo interfunderetur in alios; & si de plenitudine ejus omnes creature rationales accipiunt quasi tantum gratie particulas, nunquam ad æquivalentiam simul collectam, ejus plenitudinem, sed in totam gratiam Angelorum omnium & hominum simul sumptorum intentione superaret, nec erret ita sentire de eo de vero iustitiae Sole, & gratiarum omnium fonte. Sicut enim Sol plus solus lucis habet, quam quævis loca inferiora, ita & Christus plus sanctitatis & gratie luminis solus, quam simul omnes sancti in celo & in terra, habentes de plenitudine ejus exiguam participationem. Item sicut fons plus aquæ habet, quam rivi omnes ad quos ab ipso aqua defluit, ita & Christus, quem pulcherrimè fons gratie comparat S. Bernardus (serm. de nativitate Dei), ubertorem gratiam sanctificantem adeo est, quam omnes simul qui ab eo gratiam habent, et hoc quia est unigenitus, & filius naturalis: propterea dicitur ad Hebræos 1. Tantum maior Angelis effectus (non solum in gratia unione, sed etiam in gratia habituali) quantum differunt præ illa nomen hereditavit: cui enim dixit aliquando Angelorum filius meus es tu, ego bodie genui te. Ubi Cyrillus libro 1. in Joann. cap. 17. Sancti vultus in domo sunt, filius autem in domo sua versatur. Ex quo infertur, quod alij sancti habuerunt quendam gratiam muneris, Christus amplam & totam hereditatem. Et Hieronymus in caput undecimum Isaie: Qui in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter, nequaquam per partes, ut sancti sancti, sed juxta Evangelium quod Hieronymus conscriptum legit Nazareth, descendit super eum omnis fons Domini. Ergo Scripturæ & SS. Patrum consensum est asserere, gratiam Christi habitualis, totam gratiam Angelorum & hominum, simul & collectivè sumptam, intentione superare.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Gratia Christi non fuit infinita intensivè, sed potuit augeri, ut dicemus articulo sequenti, & similiter non produxit in Christo omnes virtutes quæ ab ea solent emanare, numerum fidem, spem, & poenitentiam: Ergo nec intensiva nec extensiva plenitudo gratie fuit in anima Christi.

Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam, licet enim gratia Christi intensivè finita fuerit, fuit tamen summa quæ Deo ordinatione danda erat, quod sufficit animæ Christi plenitudinem gratie habere dicitur, & collectionem totius gratie omnibus